



causis malorum petita est. Et ingeniorum quidem ea nunc floret temperies, quæ si cum moribus seculi & malis inter homines late regnantibus comparetur, multa nos metuere & quam maxima possumus cum cura versari jubet. Mutari etiam seculis animorum genios, Huarto, Barclajo aliisque non semel est observatum; insignis vero mutatio nostris temporibus contigit. Regnat hodie nescio quis ingeniorum *ὄργασμος*: excitata sunt pleraque, si cum majoribus conferantur, & ad *ἀκμὴν*, vel veram, vel imaginariam enitentia: Iugiter, etiam æquisissimi, impatientiam intra ipsos animorum recessus apud plerosque observes, tum curiositatem longe majorem, & indolem in literis vere democraticam, unde ad licentiam effrenem perfacilis est desultatio. Exuerunt plurimi non solum reverentiam majorum, sed & bonam de illis opinionem ferme omnem, ea maxime de causa, quod diversam plane ingeniorum indolem iis fuisse animadvertant.

Paucis dicam: incendium quoddam ingeniorum, phænomenon in Historia animæ & literarum copulata non adeo frequens, nunc observamus, quotquot ad mores seculi, & cum primis ad sapientissimos providentiæ ductus aliqua mentis contentione respicimus. Equidem & hanc ingeniorum sortem utiliter posse tractari, Deumque Q. M. salutare animo constituisse fines, ad quos